

Dissertatio medica inauguralis, de hydrope ... / [Alexander Scott].

Contributors

Scott, Alexander.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1778.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p7ue5s6t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

96614/1P. Super. (c)

DISSE^TRAT^IO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROPE.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER SCOTT,
HIBERNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Whoever thinks a faultless piece to see,
Thinks what ne'er was, nor is, nor e'er shall be. POPE.

EDINBURG:I:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

Viro spectatissimo

JOANNI FERGUSON,

ARMIGERO,

Artem appollinarem apud Derrienses

Feliciter exercenti;

Denique,

Amico suo dilectissimo

GARDINER GORDON, M. D.

Haec Sacra vult

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30383134>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

H Y D R O P E.

OMNIA corporis cava ab aquosa mate-
terie humeſtantur, quae aut liquida
forma effunditur in ea, aut forma vaporis
exhalatur.

Hicce humor in oeconomia animali utilis
admodum est, has partes, quae sibi invicem
atteruntur, lubricas reddendo, ut motus ea-
rundem liberior sit, et concretio, quae aliter
eveniret, malumque induceret, etiam pre-
caveatur.

A

Quum

Quum idem vero in cavo quovis, tali quantitate accumuletur, ut tumor et molestia inde oriantur, morbus quem hydropem nominare solent medici constituitur.

Si aqua uberius colligitur in ampla cavitate, aut pluribus parvulis, scil. in membrana cellulosa, morbus semper comitantem habet fitim, quae saepe etiam inexplebilis est, cum parca urina, et materie perspirabili cohibita.

Quum aqua in clausa cavitate contineatur, hydrops nominatur Saccatus vel in Cyftide; si autem per telam cellulofam ubique diffunditur, tunc Diffusus vocari solet; prioris exemplum praebet ascites, posterioris anasarca. Hydropes saccati denuo dividuntur in eos, quibus cavitates secundum, et quibus praeter naturam sunt; in posteriores facci aquam continentes ex morbis originem habent, ut in hydrope chordae spermaticae, hydatidibus, et caeteris, videre licet.

Species hydropis omnes ex parte affecta plerumque nomen habent; a cuius natura et officio varia oriuntur phaenomena. De his

his autem singulatim pauca enarrare in animo est.

DE SPECIEBUS SINGULATIM.

ANASARCA

Sic a Culleno celeberrimo definitur ;
“Corporis intumescientia mollis inelaistica *.”

In hac specie hydropis, aqua per telam cellulosam, aut totius corporis, aut cujuslibet partis, diffunditur ; unde in universalem et localem dividi solet.

Incipit fere semper a tumoribus partium infimarum, qui aut vespere, aut si aeger aliquandiu stetit erectus, aut crura pendentia habuit, insigniores fiunt ; decumbente autem, vel situ horizontali corpus habente, aut minuantur, aut penitus evanescunt ; hae partes tumefactae etiam digiti prementis vestigium servant.

In

* Vid. Synops. ejus edit. alter.

In stadiis morbi proiectioribus, tumor universalior fit, per totum corpus se extendens, tandemque manus faciemque corripiens; infimae tamen partes maxime semper fument.

Difficultate respirandi, siti intoleranda, urina parca, sifatur; aegerque sicca tussi saepe vexatur. Cutis arida, maculis cooperta, sensusque expers fit, tandemque aquae retentae non capax rumpitur, sequiturque haud raro gangraena.

H Y D R O C E P H A L U S

Definitur, "Capitis intumescentia mollis, inelasticata, hiantibus cranii futuris *."

In externum internumque dividitur. In externo aqua inter cutim pericraniumque colligitur, nec ulterius descendere finit arcta inter tegumenta musculos substratos auresque connectio; his adde minime periculosum esse. Internus infantes plerumque adoritur;

in

* Ibidem.

in hoc aqua continetur vel inter cranium durumque matrem, inter duram piamque matrem, vel inter cerebri ventriculos, qui casus longe frequentissimus est.

Capitis dolore nauseaque conjunctis aut alternantibus stipari solet, cum vertigine, stupore, et moestitia.

Pulsus abnormis est, initio plerumque tardus, sed versus finem frequens: Lucis intolerantia etiam, morbo incipiente, adeat. Urina varias induit species; alvus fere semper adstricta; somnus rarus, nequamque recreans. Facies nunc pallida, nunc rubore suffusa. Saepe adeat febricula cum vomitione, sitique; visio fit duplex; pupilla dilatatur; denique, convulsiones aut apoplexia superveniunt, aegrotumque e medio tollunt.

H Y D R O R A C H I T I S

Definitur, "tumor supra vertebrae lumborum mollis exiguus, hiantibus vertebris *."

Haecce

* Ibidem.

Haecce affectio ut plurimum congenita est, et in recens natis tumor in spina plerumque infimis lumborum vertebris manifestat. Hic tumor serum aut aquam continet, thecaeque medullae spinalis continuatio est; vertebrarum processus spinales aut dividuntur, aut penitus ab eo obliterantur; inde nomen Spina bifidam habet. Tumor mollis est et indolens, castaneae molem vix superans, profione recedens, colore ut plurimum subfuscus. Cutis super eum initio tenuis, sub finem inflammatio et ulceratio ejusdem oriuntur, pusque formatur. Tumor quandoque localis est, nec toto canali spinae continuatur, sed fluidum in cystide continetur; alias autem tota theca medullae spinalis aqua repleta est, quae saepe a cranio descendit, scilicet cum infans hydrocephalo laboret, et aqua inter duram piamque matrem accumuletur; quandoque etiam a spinae canali in cerebrum ascendere, ibique hydrocephalum gignere, potest. Tumore perrupto aut aperto, procul dubio pereunt infantes. Dumque ea labrant, nil fere sentiunt nec moventur; somnolenti,

lenti, nisi a nutrice concussi, ad lac fugendum
solicitentur.

H Y D R O T H O R A X.

Definitur, “Dyspnoea; faciei pallor; pedum oedemata; urina parca; decubitus difficilis; subite et sponte ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans *.”

Hoc malum sine aegrotantis notitia quandoque supervenit. Urina, et si non semper, fere tamen, parcior rubriorque quam in sano est. Circa pectus sentitur oppressio et spirandi difficultas, praesertim inter ascendendum; adeo tussis sicca titillansque, pedesque vespere tumere solent.

Morbo jam progrediente, somniis molestis per noctem turbantur aegroti. Erecti multo minus vexantur quam decumbentes, quo situ, oppressio pectoris admodum est molesta.

Pulsus

* Ibidem.

Pulsus naturali citior; parvus autem et abnormis est.

Si aqua uno tantum cavo thoracis congeratur, decubitus in eo latere facilior sit; nisi partes inter se cohaerent, fluctus aquarum sentiri potest.

A S C I T E S

Definitur, “Abdominis tumor aequalis fluctuantis, intus aquae perceptio; urina parca; superiorum partium macies †.”

Adfunt in ascite dyspnoea, tussis, urina parca, sitisque affidua, et alvus fere astricta. Prout aeger situm, ita fluidum gravitans locum, mutat, unde fluctum facile persentire licet.

Humores stagnantes in hac specie hydropis citius, quam in aliis, acres fiunt, aut putrefescunt.

Hic

† Vid. Synops. edit. prim.

Hic morbus cum hydrocele conjunctus crebro reperitur, alter nempe ab altero saepe ortum habet. Ascites fere insanabilis est, praesertim si anasarca conjuncta fuerit.

H Y D R O M E T R A

Definitur, “ Hypogastrii in mulieribus paulatim crescens tumor, uteri figuram referens, pressui cedens fluctuansve; citra ischuriā et graviditatem.*.”

Hydrometra steriles potius quam alias invadere solet. Tumor hypogastrii successive augetur, quandoque magnam in molem, et, propter gravitatis sensum dolorisque, vix ambulare possunt, aut truncum corporis ad anteriora inflectere ; oedema partium inferiorum plerumque adest ; tumor hypogastrii laxus est, pressioni cedens, et percutto fluctuationem dignoscere licet.

Propter uteri distentionem multa comitantur graviditatis signa; ut os uteri clausum,

Bem-estar e cataménia

* Vid. Synops. edit. alter.

catamenia suppressa, et caetera. Mammae in his molles autem et laxae; in gravidis vero durae tumidaeque, motusque foetus paucos post menses sentitur. Interdum tamen cum graviditate conjungitur; tunc moles abdominis solito major est, tormina in parturitione saepe exigua; foetus vel mortuus extrahitur, vel debilis admodum evadit, et nunquam vegetus aut sanus est.

H Y D R O C E L E

Definitur, “ Tumor scroti non dolens, paulatim crescens, mollis, fluctuans, pellucidus *.”

In hoc morbo aqua variis in locis contineri potest, unde varia oriuntur phaenomena; saepissime autem in tunica vaginali cumulatur. Lente quidem plerumque tumescit, nec multo dolore aegrotus initio afficitur.

Tandem vero tumor, majorem in molem auctus, perquam molestus fit, testisque, prop-

* Ibidem.

ter aquam ubique cingentem, nisi parte qua chorda intrat spermatica, nequaquam detegi potest. Tumor pellucidus est, et quovis situ vel corporis positione amplitudinem formamque retinet, fluctumque persentire facile est.

HYDROPIA CAUSÆ.

Fluidi serosi hydropem gignens accumulatio originem dicit ab

I. Effusione aucta.

II. Absorptione imminuta.

I. Effusio haecce iterum a causis sequentibus pendet;

i. *Exhalatione aucta*; quae oritur,

A. *Ex iis quae venosi sanguinis redditui impedimento sint*, quod ex necessitate cursum sanguinis in arteriis retardare oportet, et viribus eum propellentibus simul intactis manentibus, ut copia major partis aquosae evaderet per ramos laterales perficiet.

Talia impedimenta ex obstruktionibus in pulmonibus, corde, vel hepate haerentibus, oriuntur,

“Corrupti

“Corrupti jecoris vitio vel splenis acerbus

“Crescit hydrops *.”

His adjungi possunt, corporis situs, et evacuationes solitae suppressae, quae plethoram praebent venosam, vel habitum gignunt cachecticum.

Etiam memorentur venarum quarundam obstrukiones, a polypis in ipsis existentibus, aut compressione externa ex visceribus quibusdam juxta positis tumidis.

B. *Ex iis quae impedimento fluidorum cursui per excretoria sint.*—Haec, quoniam haud sinunt aquosa excernenda evadere, facient ut superflua in quaedam corporis cavorum exhalentur, et sic hydropem hujus vel illius partis producent.

Horum excernentium praecipue sunt perspiratio et urina; alterius quarum suppressa altera vice fere fungitur. Sed haud semper sic res se habet; nam aliquando contingit, quod urina retenta, vel suppressa, non satis ampla succedit perspiratio; in hoc casu species aliqua hydropis persaepe subest, et omnium

* Sammonicus.

nium frequentissime hydrocephalus; ratio cuius adhuc nobis ignota manet. Contra, perspiratione impedita, et forsan ab aëre inhalatione adaucta, vel aqua ullis modis superabundante in corpore collecta, redundantia haud semper per vias urinarias excernitur, sic diabetem inducens; sed a causa quadam, forsan exhalantium laxitate, via horum exit, et sic hydropis ortui favet. Tale excretoriis impedimentum aliquando ex potionе frigida oritur, constrictiōnem horum vasorum inducente, et praesertim horum in superficie.

C. Pro causa etiam interdum agnoscit *impetum sanguinis in arteriis adauctum*.—Raro membranae cava formantes inflammatione laborant, quin plus minusve fluidi effusi in cavitates ab illis formatas subit. Etiam tumores oedematosi, ab contusionibus et distortionibus, vel membra luxationibus, persaepe oriuntur. In hoc casu tamen non semper aucto impetui sanguinis referendi sunt, sed forsan potius atoniae vel debilitati praecedenti, distensioni succedenti; et haec confirmatur opinio, ex eo quod, nempe balneo frigido,

frigido, frictione cum linimento volatili, et talibus curantur.

D. Causa etiam non rara est, *relaxatio ex-halantium ex affectibus paralyticis orta*; quare paralyticos affectus fere hydropici subsequuntur tumores; quod verisimiliter ab hoc pendet, nempe, has affectiones a musculis ad vasa sanguifera, et eorum exhalantia, communicari.

Sed causa frequentior est relaxatio universalis, ut obtinet in chloroticis et cacheeticis. Talis conditio variis inducitur modis, sed praecipue larga abstractione sanguinis, solitarum evacuationum suppressione, vita sedentaria, pathemata deprimentia, et morbis qui vires debilitant, et conditionem corporis infirmam inducunt.

E. His addenda sit *partis sanguinis aquosae copia abundantior iusto*.—Haec causa, etsi occurrit, tamen haud tam frequenter occurrit quam aliqui putarunt; quando vero oritur, ex sequentibus originem habet; viz. aquae quantitate intus accepta. Haec, licet permagna sit, tamen innocua accidere potest, periculo praeverso excernentibus numerosis quibus corpus

corpus sit instrutum. Sed haec haud viam semper praebeant fluidis excernendis ; et, si pars aqua nimis tunc abundaret in quaedam corporis cavorum, per exhalantia viam sibi faceret.

Causa frequentior, quare partes aliquae sanguinem constituentes nimis abundant, est globulorum rubrorum aut glutinis defectus.

Hunc defectum haemorrhagiae sua sponte vel arte factae producere possunt. Gluten serosis aut purulentis evacuationibus praefertim extrahitur ; et quoniam hoc simul cum globulis rubris, ut tenuiora in vasis retineantur perficit, si hi modis antedictis spolientur, et haud rata parte in sanguinis massa sunt, partes fluiditate maxime gaudentes per exhalantia transibunt.

Tales evacuationes nimis justo factae alterum etiam malum systemati inferunt, quod id hydropi magis obnoxium reddit, nempe, vires concoctrices et assimilantes tam debilitant, ut eas ad partes sanguinis nutrientes et magis constantes, pro justa ad tenuiores ratione renovandas, ineptas atque impo-

tentes

tentes reddant; ex quo illa fluidorum conditio, tam hydropi favens, ut oriatur necesse est. Postremo, inaequalitatem producere possunt causae sub titulo B. relatae.

2. Rursus effusionem dare potest *lymphaticorum ruptura*:

Ex eo quod chylus ex lacteorum ruptura extravasatus inventus fuisset, concludere inducimur, quod lymphatica alibi in corpore rupturam etiam patientur.

3. Denique, effusionem dare potest *vesicularum vel saccorum ruptura*. Quidam sunt tumores aquosi, Hydatides nuncupati, superficie viscerum innati, qui sunt vesicis quoddammodo similes super cutem geniti, ex separatione cuticulae ab ea. Hae, dum aquam continens cystis integra restat, magnitudine tarde tantum crescunt; sed erupta cystide, et sic sublata resistentia, effusio magna.

II. Serosi laticis accumulatio hydropem inducentis fit, retentione et collectione fluidorum naturaliter effusorum, *propter absorptiōnem imminutam*, quae datur,

A.

A. *Obstructione vasorum vel glandularum lymphaticarum*—Re ita se habente, et exhalantibus solitam quantitatem interim effundentibus, aquae accumulatio praeternaturalis ex necesse fiebit. Huic tamen procul dubio anastomoses frequenter obviam ibunt.

B. Datur etiam absorptio imminuta, *lymphaticorum paralyssi vel atonia*.—Quoniam jam a plerisque, haec, ex vi sua musculosa, suis fungi officiis conceditur, facile detur quod, si haec vis aliquo modo fit perdita, tunc inepta fient, ut rite vel plene suis fungantur dotibus, cuius effectus omnibus sunt in aprico.

C. Eudem edit effectum *obstructio venarum in partibus haud lymphaticis gaudibus*.—Hoc quidem fieri potest; tamen, antea aliquae partes in corpore adsunt, a multis dubitatur. Nam, et si adhuc haud lucide in cerebro demonstrata fuerunt, nihilominus ex analogia ratiocinantes, etiam hic loci, ea locum habere suspicaremur.

P R O G N O S I S.

De felice aut infelice morbi eventu, a causis perspectis, a natura officioque partis affectae, a morbi diuturnitate, symptomatum lenitate aut acerbitate, cum aegroti aetate, robore, corporisque constitutione, judicamus.

Si aeger juvenis sit, morbusque breve tantum in tempus perseveravit; si corporis habitus nec intemperantia nec morbis praeeuntibus jam fractus sit; si morbus ortum habeat ab alio qui amoveri facile possit; denique, si diffusus sit hydrops, prosperum potius eventum praedicare licebit.

Quum vero res sese aliter habent, ut quum aegrotus aetate sit proiectus et constitutione jam fracta; quum aqua in cystide, et praeципue facta praeter naturam, contineatur, diuque perseveravit malum; quum originem trahat ex obstructionibus in corde visisque majoribus, a polypis aut ossificationibus factis, ex pulmonibus obstructis, visceribus

ribus schirrosis, talibusve morbis qui sanari nequeunt, etiam maximi conatus minime valebunt.

C O N S I L I A M E D E N D I.

Tumores hydropici, si magnam jam mollem acquisiverunt, quare ipsi ulterius augmentur in causa sunt. Aut enim sanguinis venosi redditum impediendo, exhalationem adaugent, aut lymphatica in tractu comprimendo absorptionem minuant. Ut hoc igitur praecaveatur, et ut curatio perficietur, consilium est,

I. Aquam effusam extrahere.

II. Ne denuo accumuletur praecavere.

Ut priori respondeatur necesse est interdum aquam directe extrahere modis mechanicis, scilicet,

Epispasticis,

Fonticulis,

Et incisionibus.

Attamen

Attamen periculum est, ne gangraena ex his, praesertimque epispaisticis, oriatur. Fonticuli quoque inflammationem excitare solent. Si haec autem vitare possint, saepe utilissimi erint. Utrisque horum incisiones, aut in telam cellulosam puncturae anteponendae sunt, quae aquam efficacissime exhauriunt, et in anasarca, ubi cutis supra modum distensa jam ferme rumpitur, cum fructu perficiuntur. Multo magis enim post ruptram quam incisionem arte factam gangraenae periculum urget. Item, cum distensio non aequa sit insignis, tumor vero stipatur inflammatione erysipelatosa, quae gangraenam minitatur, incisione huic obviam ire fortasse licebit. Etiam in ascite et hydrothorace, si aegroti vires minus convelluntur, ad paracentesin configiendum est. Cautelae autem methodusque operandi ad chirurgum praesertim pertinent.

Etsi his modis mechanicis aquam extrahere saepe opus est, haud raro tamen potius est, majusque commodum post se trahit, naturalia corporis excrementa elicere, et aquam his

his viis derivare. Ab his enim evacuationibus praecipue, morbum penitus eradicare expectandum est, et ut hoc fiat utiūur,

1. *Emeticis*,
2. *Catharticis*,
3. *Diureticis*,
4. *Diaphoreticis*,
5. *Sialagogis*.

Primoque, quoad *emetica*, ab his actio absorbentium insigni modo promovetur, et si parvis dosibus ut nauseam movent adhibentur, breviaque post intervalla repetantur, aquam alvo, urina, aut sudore copiose elicent, et sic utilissima esse evadunt.

Quod ad administrationem vero, in iis qui dyspnoea, ab aqua in thorace aut abdomine accumulata, laborant, aut haemorrhagiis obnoxii sunt, caute admodum plena vomitione utendum erit.

2. *Cathartica*.—Ex iis fortiora, hydragoga nominata, quia magnam aquosae materiae vim educunt, olim magnopere usitata fuerunt. Inter ea maxime celebrata sunt, pilula

lula lunaris, calomelas cum jalappio, elaterium, gambogia, &c.

Usus attamen eorum multa incommoda adfert; necesse est enim ut persaepe repetantur, nam, si longa intervalla inter exhibendum ponantur, morbus non levabitur, sed potius ingravescit; et frequens denuo usus debilitatem inducit, quae symptomatum exacerbationi perseverantiaeque favebit.

Propter has causas, talia nuperos per annos mitioribus posthabita sunt; et inter haec tremor tartari maximas acquisivit laudes. Medicamentum est equidem magni aestimandum in morbis hydropicis, quoniam aqua satis copiose ab eo exinanitur, neque aegroti vires inde convelluntur. Praeterea, si parvis saepeque repetitis dosibus adhibetur, per renes exibit, urinamque copiose movebit; quae alvo solutae anteponenda est, quoniam materia morbum concitans naturaliter hac via excernitur. Est ergo dolendum proximam classem, nempe,

3. *Diuretica potentiora, non praebere remedia.* Ex iis insigniora

Scillae,

Scillae,

Colchicum,

Allium,

Salesque alkalini.

Scillae.—De his sic loquitur Cullenus classissimus: “Carried into the blood, the squill is diuretic; but in that view it oftener disappoints than answers our intentions *.” Sed, si cum hydrargyro conjunctae sint, efficaciores erunt.

Quoad *colchicum*, non admodum valere videtur; saltem votis medicorum respondere vix invenitur.

Allium multo valentius videtur esse remedium, et cum fructu saepe usurpatum est. Spicam totam deglutire optima est forma exhibendi; sic enim maxima quantitateingeretur. Sed ex hisce medicamentis postremum, scil. *sales alkalini*, certissimos edunt effectus, et, si copia satis larga ingeri possunt, spem nostram crebro adimplent.

4.

* Vid. praelectiones de mat. med.

4. *Diaphoretica*.—Haec utiliora sunt, si malum ab impedita perspiratione ortum duxit, et hoc in casu purgantibus diureticisque anteponendae sunt; quae a superficie derivando noxam fortasse inferrent, causamque morbi corroborarent. Diaphoreticorum potiora sunt ex antimonio parata, pulvisque Doveri. Inter externa, balneum siccum fortasse commodissimum est.

5. *Sialagogia*.—Horum praecipuum est hydrargyrus, qui salivationem excitando hydropem curasse dicitur. Alia excreta tamen eliciendo, potius hoc perfecisse videtur. Haec omnia, praecipue rei perspirabilis et sudoris insigniter promovebit, et si tantum non ingerratur, quantum salivationi excitandae necessarium est.

Praeter insignes effectus evacuantes, obstrunctiones potentissime resolvit; et quum salivationi concitatae curatio tributa fuerit, forsan quasdam obstrunctiones viscerum, quae in causa morbi fuerunt, amovendo rem perfecit.

Conſilio

Consilio primo jam expleto :

II^m. A causarum remotarum notitia tentare oportet ; scil. si morbus a schirro, polypis, vel quibuscumque aliis causis fundamentum habet ; hos inter curandum methodo cuique peculiari resolvere conandum est.

Quomodo cunque autem res se habeat, seu causa, seu morbi effectus sit, laxitas nunquam abest ; quam removere necesse est, si morbo penitus mederi velimus. Hoc vero a *tonicis medicamentis* efficitur, horumque *cortex Peruvianus* videtur valentissimum esse. Modus operandi hic loci omittendus est. Quod ad modum vero exhibendi, plurimo cum fructu pulvere cyathoque vini rubri Portugaliensis Gallicive pro vehiculo utimur. Si autem aegroti ventriculus hanc formulam recusat, decocto vel infuso commode adhiberi potest.

Eidem consilio medicamina nonnulla fossilia respondent, quaedamque a metallis parata plurimi aestimata fuerunt, praecipue a *ferro*, quae aliis tutiora sunt, hujusque rubigo pro efficacissima forma a multis habetur.

In usu vero horum medicaminum, nisi intervalla quaedam interponantur, non diu persistendum erit ; namque, longum in tempus continuata, tonum ventriculi systematisque, quem restaurare propositum erat, certo certius delebunt.

Aliud est remedium systemati tonum impertiendo, vel jam amissum renovando, aptissimum, nempe *exercitatio*. Genus autem ad aegri conditionem omnino accommodandum est. Si admodum debilis est, in curru vehi decet. Si autem robur ferre potest alia genera in quibus motu muscularum opus est potiora sunt ; ut globos mittere, pilam manu sive reticulo dare et reddere.

Talibus in ludis occupati, praesertim auraleni et refrigerante, corpora sua multum firmabunt, cibi appetentiam concitabunt, etiam digestioni variisque secretionibus favebunt. Locum exercitationis quodammodo supplet *frictio*, et in tumores hydropicos auferendo persaepe utilis inventa est. Dum haec autem perficitur, oleum adhibere cutim nudari prohibebit, quoddamque stimulans

mulans ut alkali volatile adjunctum, vasa absorbentia ad auctam actionem urget.

Diaeta nutriens et admodum facilis concoctu esse oportet, nempe, ex pane fermentatione rite subacto, firmioribusque cibis animalibus, confici potest.

Potus corroborans esse debet; *frigidusque* inter tonica efficaciora procul dubio locandus est. Attamen, propter aquam in systemate jamjam superabundantem, a medicis plerisque omnino rejectus est. Qui ne ulterius accumuletur carentes, liquida procul amoveri suadent, regimenque siccum praestituere solent.

Haec praxis primo intuitu, morbo in omni casu medendo, accommodatissima videatur. Ut sanitas enim rite conservetur, necesse est aquosam quandam materiem e corpore per varia excreta continuo ejici, unde sanguinis massa parte tenuiore statim spoliaretur, nisi provida natura bibendi desiderium hominibus dedisset, a quo hoc dispendium supeditetur. Si liquores autem abstrahantur, natura ad aequilibrium fortasse servandum, a

cavis

cavis quibus aqua continetur absorptionem augebit. In hydrope vero aqua effusa plerumque spissior facta, absorptu minus idonea est ; aut justo acrior absorbentia fortasse stimulando, ut officiis rite fungantur impediet. Vel, etiamsi pars absorbeatur, et per excrementa viam minus facile inveniet, retenta totam sanguinis massam inquinabit.

Haec perpensa, ut naturae postulatis saepius indulgeamus, hortantur ; nec dubium est quin saepe cum fructu fiat. Nam *potus frigidus*, ut aqua cum vini pauxillo mixta, viribus tonicis vasa ad agendum solicitat, excrementa elicit ; et quanquam exhalatio inde augeatur, humores tamen stagnantes diluendo, quare faciliter absorbeantur, et e corpore ejiciantur, in causa erit.

Si morbus item pendet a visceribus obstructis, quae sanguinem circumfluentem mechanice impediunt, liquores frigidi affatim hausti commodum adferre possunt. Et si enim tumor in praesens augeatur, causa tamen eodem tempore labefactatur.

Et

Est igitur verisimile, unam ex his ut rationem reddi posse, quare morbi hydropici post vinum aquasve per venas metalli fluentes largiter epotas, quandoque curati sunt.

Hanc tamen praxin caute admodum instituere oportet, et postquam ad effectum operis jam ventum erit, nisi coeptis succedit, eandem urgere minime licebit; namque saepe, ut pulchre dixit poeta,

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,

Nec sitim pellit nisi causa morbi

Fugerit venis, et aquosus albo

Corpore languor.

HORACE.

His addi potest, alterum remedium haud parvi momenti, nempe *balneum frigidum*, quod si aegrotus non valde debilitatur, magno cum commodo frequenter usurpatum erit, reactionem cordis arteriarumque suscitando, excretiones promovendo, viresque fractas restaurando.

F I N I S.



